



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 7. Num totæ sint in terris, Pygmæorum nationes?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

prostrauisset? Nunc autem palàm agnatum est, *in nomine Domini* cæsum exprobratorem, fugatos hostes, victoriam obtentam fuisse. Et maior est gloria, per paruum posse patrare magna. Hoc pacto, etiam posterioribus sæculis, Edgarus Britannorum rex statura pusillus, Rinardum Scotorum regem staturæ paruitatem sibi exprobrantem ad singulare certamen prouocans, ei ostendit, virtute se, non forte electum regnare. Et Iouius in vita Baiazetis I. refert, à Galeacio Gonzaga, statura admodum pusillo, itidem singulari certamine, superatum esse Caroli VI. regis mareschalcum Bucicaldum Gallum, hominẽ gigantææ magnitudinis; qui eapropter voto se obstrinxit, arma se amplius non induturum.

Fulgos.  
l. 3. c. 7.

§. VII.

*Num totæ sint, in terris, Pygmaeorum nationes?*

Tam magnus cùm sit in paruis Deus, laudandus est etiam ab illis terræ Indiæ partibus, in quibus *Spithamæi Pygmæi* narrantur, ternas *Spithamas* longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, salubri celo, semperq; vernante, montibus ab Aquilone op-

Plin. l. 7<sup>o</sup>  
c. 2. nat.  
hist.

I 5

positis:



positis: quos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est, insidentes arietum caprarumque dorsis armatos sagittis, veris tempore, vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullosque earum alitum consumere: ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto pennisque, & ouorum putaminibus construi. Scholiastes in tertium Iliados scribit eos in extrema parte Ægypti, Aristoteles in Æthiopiæ regione Troglodytica habitare, subireque cauernas, & ob eam causam Troglodytas vocari, fabulamque esse negat, quod vulgò de statura eorum deque pugna cum gruibus fertur. Homerus & Strabo Æthiopiæ illis partem tribuunt, Mela Arabiam. Quod quidam tradunt, eorum mulieres quinto anno parere, senescere octauo, vel, teste Alberto Magno, triennio gignere, octennes mori, vt adeò breuitas vitæ breuitati staturæ respondeat, fabulam olet, cum nos quinquaginta & sexaginta annorum pumilos spithamæos viderimus, qui etsi non probant esse certam similium masculorum & femellarum nationem; saltem euincunt, talem esse posse. Quæ si est, à Deo est ad Mundi ornatum varietatemque facta. Siqui-

Aristot.  
lib. 8 de  
hist. ani-  
mal c. 12.  
Vide Lu-  
d. ou. Vi-  
nem in  
lib 16  
S. Aug de  
cinit c. 8.  
Mela. l. 3.  
c. 4.

Albert.  
Mag. l. 7.  
animal.  
tract. 1.  
c. 6.



Siquidem unus est Creator omnipotens, & Eccli. 1. 8  
rex potens, & metnendus nimis, qui sapien-  
tiam suam effudit super omnia opera sua, &  
super omnem carnem, secundum datum suum.  
Igitur, quicumque vis sapere, Iustifica pusil- Eccli. 5. 18  
lum & magnum similiter. Magna sunt cæli  
decora sol & luna, sed minùs ornata esset  
illa domus beatorum, si non etiam mino-  
ribus ignibus vndique exsplendesceret.

§. VIII.

Gigantèa statura homines curiosorum vo-  
luptas.

Hic ornatus enormi etiam proceritate  
perficitur: adeò vt à satrapis multis, iti-  
dem inter exquisita, gigantes ingenti pro-  
digalitate alantur. Omitto ceteros, infrà  
inferendos, hîc sufficiet Maximilianus Ce. Surlus in  
sar, qui, An. 1511. vt loquitur Surlus, Còment.  
comitia indixit, apud Augustam, vbi illi obla- An. 1511.  
tus est vir quidam prodigiosa vastitatis & cras-  
situdinis, atq; incredibilis ingluuiei: ita vt in-  
tegrum vitulum crudum, vel ouem incoctam  
vnà deuoraret; & tamen necdum famem ex-  
pletam diceret. Ferunt hominem Borealibus  
regionibus ortum fuisse, vbi, ob locorum frigo-  
ra, solent homines esse edaciores. Similem re- Zonarae  
fert Zonaras mulierem Thracem, sub Iu- in Iustis  
stino no.